

Observationes in Hyperidis oratione nem funebrem.

Nonnulla, quae in Hyperidis Lamiaca oratione a cl. Babingtonone summa nuper cura et splendore edita vel melius legi vel aptius emendari vel rationabilius suppleri posse videntur, publici iuris facere opportunum fore autumavi. Si enim vera illa sunt et rationi consentanea quae proponam, rerum Hyperidiarum studiosis alicui esse utilitati poterunt; sin minus, poterit aliquis de errore monere et caecutientem in rectum callem reducere. Quidquid vero de istis meis sit, nihil inde clarissimi editoris nomini detrahetur, cuius doctrinae atque ingenio debitus honor servabitur, studio autem, quo oratoris perillustris orationibus edendis operam navavit, gratus animus profitendus est. Nec sine admiratione legi quamplurima quae ille mira sagacitate e papyri laciniis eruit, plurima quae ex imperiti negligentisque scribae incertis duilibus crassisque erroribus optime restituit ita ut, quas illi laudes ob papyri Ardeniani editionem tribuit Schneidewinus, eis videatur omni ex parte dignus esse. De qua laude nihil detrahitur, si quae et pauca et pusilla, ut in huiusmodi editionibus principibus fieri solet, studio intentiori retractanda reliquit. Sed iam ad rem ipsam deveniamus.

Fundamentum quo nitor in quibusdam eorum quae dicturus sum tabulae sunt papyri quales sunt columnas exhibentes. Monitos autem legentes esse velim me illis summa diligentia ac fidelitate exaralis tantum auctoritalis tribuere ut quoties

opus fuerit, non tabulas sed ipsum volumen papyrumve nominare non dubitem.

Col. I. lin. 1

[Περὶ] τῶν μὲν λόγων

Toties repetita praepositio περὶ haud bene videtur sonare. Opus vero ea esse non video, optime enim suppleri poterat [Kai] τῶν μὲν λόγων μα[ρτυρες].

lin. 11

τὰ(ς) π(ρ)ο[άξεις]

Litterae ρ in papyro nulla video vestigia, verum quae Babbingtoni littera σ visa est, eam o polius esse coniicio. Malim itaque legere τὰ ὄπ[λα].

Col. II. lin. 7 sqq.

πλὴν κατ[αλογιζόμε]-

νοι ἐπ' ἀληθ[είας καὶ τῷ ὅν]-

τι κτλ.

Versu octavo non νοι sed τοις evidenter praebet volumen, quod ipse B. ita fatetur ut melius cum papyro hoc dicat convenire supplementum: πλὴν κατὰ τὸ γεγονός ἐπ' ἀληθέστερὸν τι. Attamen cum non sit Graecum, vel ipse reiecit. Scripturae vestigiis insistens hacc propono: πλὴν κατ[αλογιζόμε]νοις ἐπ' ἀληθείας ἀντείπῃ] τι, τὰ νπ' ἐμοῦ καταλειπόμενα ιμεῖς οἱ ἀκούοντες προσθήσειτε.

lin. 15

τῶν ἔκει

ειναι volumen editori, εινοι mihi videtur habere. Rectius itaque emendare mihi videor τῶν ἔ[κ]εινοι[ς] (ει pro ε) πεπραγμένων.

Col. III. lin. 20 sqq.

διεξιέναι

[τ]α(ς) καθ' ἔκαστον τῶν πρό..

[τε]ρον πᾶσαν τὴν Ἑλλά-

[δα] κτλ.

Non integra sententia est etiam si, quod ne cogitari quidem potest, ita disponatur oratio: διεξιέναι πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα τὰ

κτλ. Cuius rei B. non ignarus post πρότερον excidisse sibi persuasit πεπραγμένων κατὰ. Nos vero cum animadverterimus, in orationibus funebris tum Lysiae tum Pseudo-Demosthenis urbis laudes praecipue ex iis peti quae pro universae Graeciae salute gessisset, verisimile existimamus, de hac urbis laude Hyperidem hic mentionem fecisse. Conicimus igitur post verba πάσαν τὴν Ἑλλάδα verbum periisse quale est διασωσάντων.

lin. 29

ἐπελθεῖν.

In volumine quod est απελθεῖν cum nullo modo ferri possit, B. emendavit ἐπελθεῖν, ego vel διεξελθεῖν vel διελθεῖν praeferam quae enarrandi verba magis in usu fuisse inveniuntur.

lin. 29—31

καὶ μη-

[μο]νεῦσαι ἐπὶ κεφαλαι-

[ον δὲ] οὐκ ὀκνήσω κτλ.

Sententiam accuratius distinctam habebis sic interpungens ac supplens: καὶ μη[μο]νεῦσαι ἐπὶ κεφαλαι[ον· ἀλλ'] οὐκ ὀκνήσω εἰπεῖν περὶ αὐτῆς· ὥσπερ γὰρ κτλ. Nam quinque litteris quas supplevi non spatium nisi quatuor litterarum spatium occupabatur quoniam singulae μ binas λ in papyri scriptura saepius aequant.

Col. IV. lin. 21 sqq.

[Περὶ μὲν οὖ]ν τῶν
κοινῶν ἔργων τῆς πόλεως
ώσπερ [ἐν βραχεῖ εἴρηται τι
φα, περὶ δὲ Αεωσθέν]ονς καὶ
τῶν ἀλλων ἥδη τοὺς λόγους ποι-
ησο(μ)[αι] κτλ.

Quamvis lacera haec sint omnino, tamen ex iis quae supersunt colligi certissime potest Hyperidem hac ratione conclusisse: Itaque non de rebus a civitate Atheniensi gestis verba faciam sed potius tum de Leosthene tum de sociis illius ex-

ponam. Babingtonis supplementa de quibus ipse dubitat cum papyro haud convenientiunt. Non modo quas legit litteras omni sensu carentes *αλιφω*, facile intelligitur esse *αμφω*, sed etiam in eodem versu quae diphthongum *αι* praecedit nota vestigiis demonstratur non *τ* fuisse sed *χ* potius vel *σ*. Tota igitur ut sunt sane difficillima non aliter posse suppleri videamus, Babingtonis nixi sententia et voluminis auctoritate, nisi ita: [περὶ μὲν οὐ]ν τῶν κοινῶν πράξεων τῆς πόλης εἰσερχονται, ἀλλοιον τε λόγουν ποιήσομεν. Καὶ τῶν ἄλλων ἥδη τοὺς λόγουν ποιήσομεν.

lin. 30 sqq.

ἀλλ' εὖ-

ηθες εἶναι ὑπολαμβάνω.

τὸν μὲν γὰρ ἄλλους τινάς ἀν-

θρώπους ἐγκωμιάζοντα κτλ.

Reiecta voluminis auctoritate B. τὸν μὲν γὰρ ἄλλους pro τῷ μὲν ἄλλους scripsit puncto post verbum ὑπολαμβάνω addito. Quae tamen haudquaquam necessaria erant. Primo enim in simili loco (col. XI. l. 12) ab eo collato, quo librarium demonstraret particulam γὰρ omisisset, infra ostendemus nec omisisset librarium quidquam, nec particulam γὰρ addere opus fuisse. Ceterum ut locum istum sic immutaret causa Babingtoni fuit quae col. V lin. 5 legitur vox δει verbi δει speciem praeseferens. Verum nos tenemus verbum illud non δει sed δὴ esse oportere, qua re reliquae a B. factae mutationes aeque atque inutilis interpunctio omnino improbanter. Habebis enim facilem planamque hanc sententiam: *ἀλλ' εὖθες εἶναι ὑπόλαμβάνω τὸ μὲν ἄλλους τινάς ἀνθρώπους ἐγκωμιάζοντα οἱ πολλαχόθεν εἰς μίαν πόλιν συνεληλυθότες αἰκοῦσι γένος ἴδιον ἔκαστος συνεισενεγκάμενος, τούτων μὲν δὴ κατ' ἄνδρα γενεαλογεῖν ἔκαστον.* Facile autem negligens librarius ει pro η scribere potuit, cum praesertim non multum differat EI ab H. Praeterea Hyperides ut de stirpe eorum sibi non dicendum esse probaret, nullam de illa sententiam ferre debuit. Quid vero? dicemusne ipsum affirmasse stirpem bonam

esse atque probasse eo quod de illa dicendum haud foret?
Cordatum virum profecto numquam ita esse locutum credam.

Col. V. lin. 22.

ἀνδρὶ [ζεσθαι]

Littera ι incertissima est; pluribus enim litteris attribui potest lineola in volumine superstes. Quamvis auctor Pollux sit aliquando Hyperidem verbo ἀνδρὶ ζομηι usum esse, hoc tamen loco usum esse non magis concedam, quam τοὺς γεγενημένους ἀνδρὶ ζεσθαι dixisse. Nemo enim unquam suadebit aliam qualemcumque vocem aptius quam ἀνδρας convenire, qua restituta et syntaxis optima est et sententia evadit dilucida: τοὺς δὲ γεγενημένους ἐν τῷ πολέμῳ ἀνδρας ὑπερβάλλοντας τῇ ἀρετῇ πρόδηλόν ἔστιν, ὅτι παῖδες ὄντες καλῶς ἐπαιδεύθησαν. Una difficultas huic vocabulo oboriri potest ex numero litterarum. Sed breviorem hunc versum praecedenti fuisse duabus tribusve litteris quin credamus, cum inaequales tot versus in ipso papyro et in ipsa columna occurrant?

lin. 38 et col. VI. lin. 1

[τὴν] (ε)[ν]η-

[μερ]ιαν.

Sed vacuum spatum tribus a Babingtonae litteris expletum quinque minimum litteras flagitat. Proponimus [τὴν ἐλ]ευθερε[τε]ιαν. Litterae enim valde confusae e quibus B. επτη erui posse asseveravit lectionem ευθη minime respuunt. Scripsisse ergo librarium puto ελευθεριαν pro ελευθεριαν mutato ε in η. Cf. col. IX. l. 23 οικητας pro οικετας.

Col. VI. lin. 7. 8

ἡτις προστῆν-

[αι ήγ]ήσεται τῆς ἡγεμονίας.

Adsunt in papyro vestigia litterae quae η praecedebant et ea quidem ut de littera γ cogitare vetemur. Nec praeterea verbum ἡγήσεται opportunum videtur. Quem enim locum in hoc enuntiatio obtinere poterat opinio vel existimatio? Itaque melius legi et suppleri arbitror ἡτις πρὸς τὴν [ἀρχὴν] (θ)ήσεται τῆς ἡγεμονίας.

Col. VIII. lin. 42

aīδιον

Apices quidam litterae et impositi effecerunt ut B. *aīδιον* potius quam *īδιον* legeret. Putavit enim unum illorum a esse a librario omissum et postea in superiori lineae parte verbo adscriptum, id quod saepe fecit qui volumen correxit. At ego et orationem scriptoris *īδιον* exigere et apicem illum non esse a pro certo habeo. Nam optime et verissime dixit Hyperides libertatem illos attulisse Graecis omnibus communem, gloriam vero patriae propriam: *καὶ τὴν μὲν ἐλευθερίαν εἰς τὸ κοινὸν πᾶσιν κατέθεσαν, τὴν δὲ εὐδοξίαν ἀπὸ τῶν πράξεων ἴδιον στέφανον τῇ πατρίδι ἀνέθηκαν.* Quae sententiarum concinnitas peribit prorsus probata voce *aīδιον*. Apices litterae et impositi puncta sunt duo minus exakte notata quibus iota in principio vocum saepius distinguitur in volume Hyperidio. Cf. col. IV, 6 *ἴκεστι* . . . ? col. V, 3 *īδιον* et 22 *ἴνα*, col. VIII, 34 *ἴσχυροτερονς*, col. IX, 11 *ἴσχυειν*, col. X, 20 *ἰδιαν*, col. XI, 6 *ἴς* pro *εις* et 40 *ἴδιαις*. Hoc vero habet papyrus cum pluribus commune; „saepissime enim fit, inquit Porsonus, in MSS. omnium actatum, ut vocales I et Y puncto duplice notentur“, cf. Schaeferus ad Gregor. Corinth. p. 419, et Bastius ad eund. p. 590 et 710. Reperiuntur autem et in cod. Marciano Homeri et in Palatin. 398 et in papiro Iliadis Bankesiano (Philological Museum I p. 177). Cf. etiam Kayserus de codice Nitriensi Iliadis Palimpsesto in Philologi X p. 195 sq.

Col. IX. lin. 7 sqq.

*νόμῳ δὲ τῷ
τούτου τρόπῳ ἐξ ἀνάγκης χρῆσ-
θαι τὴν Ἑλλάδα.*

Manifesto post τούτου excidit καὶ, nam νόμῳ τῷ τούτου καὶ τρόπῳ ἐξ ἀνάγκης χρῆσθαι τὴν Ἑλλάδα apte procedunt, non apte si auferas καὶ. Cf. Demosth. Olynth. III p. 34, 19 et Aesch. Clesiph. 77, 6.

τούτων

Volumen habet τους των οικητας. Verisimilius suppleas τοὺς
[τού]των οἰκέτας.

Col. X. lin. 22, 23.

*φέρει γὰρ πᾶσαν εὐδαιμονίαν
ἄνευ τῆς αὐτοῦ δ μείνας.*

Mendosissimo hoc loco volumen habet αὐτονομει-
τας. Babingto tamen quem ingressus est legendi et rem
expediendi modum non placere mihi profiteor. Primo enim
sententia quae inde oritur falsissima est. An umquam audi-
vimus superstites victoriae infelices esse habitos? Profecto
quamvis pro patria mori semper optabile creditum sit, victo-
rem tamen domum redire non minus optabile aut nos habe-
mus aut habuerunt veteres. Nec Tyrtaeus superstites vitu-
perat victores, III, 35 sqq.

*ἢν δὲ φύγῃ μὲν κῆρα τανηλεγέος θανάτοιο
τικήσας δ' αἰχμῆς ἀγλαὸν εὗχος ἔλη,
πάντες μὲν τιμῶσιν δόμως νέοι ηδὲ παλαιοὶ
πολλὰ δὲ τερπνὰ παθὼν ἔρχεται εἰς Ἀΐδην.*

Sed reiecta hac sententia quid superest? Vnum vocabulum
quod voluminis scripturae proximum videatur est αὐτονομίας:
addidisset nimirum post ει litteram ν negligens librarius,
quod saepe fecit, ει autem pro i de more scripsisset.
Verum his concessis quid elici inde potest quod concinni spe-
ciem sermonis praeseferat? Ego quidem excidisse aliquid sine
omni dubitatione pronuntio; itaque coniecturis cum datus locus
sit, ex iis quae praecedunt et sequuntur tale quid coniicere
conabimur, quale excidisse probabile est. Maxima autem in
proximis his verbis spes est, quibus ratio continetur eorum
quae ignoramus: οὐ γὰρ ἀνδρὸς ἀπειλὴν ἀλλὰ νόμου φωνὴν
κυριεύειν δεῖ τῶν εὐδαιμόνων, οὐδ' αἵτιαν φοβερὰν εἶναι τοῖς
ἔλευθέροις ἀλλ' ἔλεγχον, οὐδ' ἐπὶ τοῖς κολακεύονσιν τοὺς
ἀσφαλὲς ἀλλ' ἐπὶ τῇ τῶν νόμων πίστει γενέσθαι. Laudans
igilur orator libertatem cum lege, sed lege propria non aliena,

addit eos qui liberi sint ac felices, aliorum arbitrio legibusque alienis per vim impositis obnoxios esse non debere. Vnde aliud nihil consequi video quod cum superioribus verbis quae quidem supersint congruat, nisi popularem statum non posse felicem esse quin propriis legibus gubernetur. Haec si Graece expressa cum reliquis composueris, habebis fere: φέρει γὰρ πᾶσαν εὐδαιμονίαν ἡ δημοκρατία, ἀλλ' οὐκ ἕνεκ τῆς αὐτονομίας· οὐ γὰρ κτλ. Ac revera de amissa autonomia Graecis restituenda in bello Lamiaco agebatur. Similia videsis apud Demosthenem de Cor. p. 324, 25: ἀνθρωποι μιαροὶ καὶ κόλακες τῇ γαστρὶ μετροῦντες καὶ τοῖς αἰσχύστοις τὴν εὐδαιμονίαν, τὴν δὲ ἐλευθερίαν καὶ τὸ μηδέρα ἔχειν δεοπότην αὐτῷ, ἀ τοῖς προιέροις Ἑλλησιν ὅροι τῶν ἀγαθῶν ἥσαν καὶ κανόνες, ἀνατεταρφότες. Cf. Aristid. de dict. civ. et Aesch. Timarch. 1, 16 sqq. Facile autem factum est ut a librario sententiam negligente versus omitteretur.

Col. XI. lin. 1 sq.

— οὐ γὰρ θεμιτὸν
τούτου τοῦ ὀνόματος τυ-
χεῖν τοὺς οὐτως ὑπὲρ
καλῶν τὸν βίον ἐκλεπόν-
τας, ἀλλὰ τῶν τὸ ζῆν
εἰ(δ)αι(μ)ένων τάξιν με-
τηλλαχότων —

Duo in istis observanda sunt, alterum de parenthesis limitibus, alterum de verbo εὐδαιμονῶν. Ac primum quidem limites parenthesis haud bene definiti fuerunt, ut quibus positis necesse sit ipso B. monente articulum τοῦ (ονόματος) vocibus τῶν τὸ ζῆν κτλ. praeponi. At necesse non est, si verbo ἐκλε-
πόντας parenthesis claudatur et τῶν μετηλλαχότων non ad ὀνόματος sed potius ad ἀρετὴν referatur. Iam vero εὐδαι-
μονῶν ubi B. legit vel supplet non potuit extare; neque enim
quid sibi velit τῶν μετηλλαχότων τάξιν τὸ ζῆν εὐδαιμόνων
intelligo, nec elementa huius verbi in scripturae vestigiis ulla
video, quoniam revera volumen habere B. fatetur ισαιω...ων.

Quid autem? istane ad εὐδαιμόνων quadrant? Itaque auctoritatem voluminis cum sententia conciliaturi nil aliud inde efficiens quam: τῶν τὸ ζῆν εἰς αἰώ[ν]ιων τάξιν μετηλλαχότων: eorum, qui vitam in saeculorum seriem mutarunt. Quae cum iis quae sequuntur ubi de gloria eorum agitur adeo congruant, ut sententia evadat haudquaquam absurdum supplemento facillimo. Legemus igitur totum hunc locum: παῦθες ἐφόδιον εἰς τὴν πρόστιν δῆμον ε[ν]μέρειαν τὴν τῶν οὐκ ἀπολωλότων ἀρετήν — οὐ γάρ θεμιτὸν τούτου τοῦ ὕνοματος τυχεῖν τοὺς οὐτως ὑπὲρ καλῶν τὸν βίου ἐκλιπόντας — ἀλλὰ τῶν τὸ ζῆν εἰς αἰώ[ν]ιων τάξιν μετηλλαχότων ἔξουσιν.

lin. 8 sqq.

εἰ γὰρ [δή τι]ς ἀμοι(β)ῶν
ἄν εἴη [τ]όπος, θάνατος
τούτοις ὀρχηγὸς μεγά-
λων ἀγαθῶν γέγον-
ε· πᾶς γὰ[ρ] τούτοις κτλ.

Papyro B. ait v. 8 αλλοιτῶν tradi, αλλοισῶν nobis videtur; nam quae videmus vestigia, eis σ potius quam τ significatur. 9 vero versu quam litteram τ esse putavit post η ea potius ς fuit vel λ, simulque non πος sed τος aperte legitur. Denique v. 12 particula γαρ non traditur neque priores duas illius verbi litteras in apice super verbo πως notato nos ut Babington agnoscamus. Nam si omnino accentus usitati essent in papyro, circumflexus istiusmodi apice indicaretur, verum litteras γα ita expressas fuisse haud facile cogitaverim. Sane Babingtonis supplementa eam particulam tamquam necessariam requirebant. At nos et supplementa Babingtonis improbabimus et particulam illam similiter excludemus atque col. IV. l. 32 exclusimus. Supplementa enim nihil habent quo sententia aliquo modo cum reliquis connexa efficiatur. Nec vero ipsi Babingtoni satis fecerunt. Ego igitur voluminis auctoritali et contextui orationis obtemperans haec propono: εἰ γὰρ [τοῖς]; ἄλλοι(ς) ὡν ἀνή(κ)[εσ]τος θάνατος τούτοις ὀρχηγὸς μεγάλων ἀγαθῶν γέ-

γορε, πῶς τούτους οὐκ εὔτυχεῖς κρίνειν δίκαιον, ἢ πῶς ἐκλε-
λοιπέναι τὸν βίον, ἀλλ' οὐκ ἐξ ἀρχῆς γεγονέναι καλλίω γένε-
σιν τῆς πρώτης ὑπαρξάσης; Verbum ἀνήκεστος, quod supplevi
v. 9, satis aptum videbatur neque improbabile librarium
ei pro η scripsisse, quippe qui idem fecisset col. V. l. 5
secundum nostram emendationem et col. II. l. 8 ι pro η
scripsisset. Neque enim verbum reperi litteris ανεκ..τος vel
αιειλ..τος vel si errorem magis vulgarem respicias, αιιλ..τος
similius, nisi quis forte praeferat nimis amplum minusque aptum
ἀνικεώτατος.

lin. 22

ἐν πολλῷ χρόνῳ

πολλων χρονοι est in volumine. Satis erit manum librarii
ultra modum evagatam ita correxisse ut πολλῷ χρόνῳ restituatur
non addita praepositione, qui usus Aristotelis Platonis-
que exemplis confirmatur in Thes. L. Gr. v. χρόνος.

lin. 25

νῦν δ' ἀπὸ ταύτης *ἀρξασθαι γνωρι-
μονς πᾶσι, καὶ μνημο-
νευτοὺς δι' ἀνδραγαθί-
ας γέγονε. ναὶ τίς καιρὸς κτλ.

Duo in istis non placent: αρξασθαι γνωριμονς και μνημο-
νευτόνς quod non intelligo et abruptum illud ναὶ recentiorum
magis quam veterum in seriis rebus et gravissimis proprium.
Sane nec verbum αγξασθαι neque aliud legitur in papyro
graeco vocabulo simile, sed Αξαθην, vel αξαθσιν vel eius-
modi monstrum. Vocem αξιωθηνα proposuit in notis B.
Nos verbum quidem αξιομαι verum alium verbi modum pro-
bantes haec proponimus: νῦν δ' ἀπὸ ταύτης ἥξιαθησαν γνω-
ριμονς πᾶσι και μνημονευτούς δι' ἀνδραγαθίας γεγονέναι.
τίς καιρὸς κτλ.

Col. XIII. lin. 6 sqq.

Ἄλλὰ μὴν
διι παρ' ἡμῖν καὶ τοῖς λοι-
ποῖς πᾶσιν εὐδοκιμεῖν

αὐτοὺς ἀναγκαῖον κ. τ. λ.

Papyrus lin. 7—8 habet *τοις λογοις* quae cum nihil esse eluceat, B. correctit *τοῖς λοιποῖς*. *Λοιποῖς* tamen in *λογοις* mutasse librarium haud facile concedam, cum praesertim *τοῖς λογοις πᾶσιν εὐδοκιμεῖν* optime dici potuisse videatur. Itaque duplice possumus uti via emendandi, aut enim *καὶ omnino expuncto παρ' ἡμῖν τοῖς λόγοις πᾶσιν εὐδοκιμεῖν servamus*, aut post *καὶ ommissum aliquid, velut τοῖς ἄλλοις,* addimus. Alteram vero hanc sententiam magis placere fateor eo quod tum quid scribam in errorem adduxerit facile perspicitur. Nam cum sententiam haud animadverteret, sed tantum mechanice, ut ita dicam, volumen exscriberet (quod omnis aetatis librarii fecerunt et faciunt plerumque), duplicem datum *τοις ἄλλοις* et *τοις λογοις* in unum confudit, prioris articulo oculis aberrantibus posterioris nomen adiungens. Iam vero mea sententia scribenda haec sunt: *ἄλλὰ μὴν ὅτι παρ' ἡμῖν καὶ [τοῖς ἄλλοις] τοῖς λόγοις πᾶσιν εὐδοκιμεῖν αὐτοὺς ἀναγκαῖον ἐκ τούτων φανερόν ἔστιν.*

Col. XIV. l. 21 sqq.

Ἄρμόδιον καὶ Ἀριο-
τογείτονα, οὐδὲ ἔκείνους οὐτως
αὐτοῖς οικείους η̄ ὑμῖν
ειναι νομιζειν ως Λεωσθενη̄ κτλ.

Locus iste, ut medici verbo utar, purum putum ulcus est. Dormitasse librarium dum haec scribit putaveris; adeo corrupta et inepta ea sunt neque ullo modo inter se coniuncta quae leguntur in volumine:

Ἄρμόδιον καὶ Ἀριο-
τογείτονα ουθενος ουτως
αυτοῖς οικειοτερονς υμειν
ειναι νομιζειν, ως Λεωσθενη̄ κτλ.

Certe quidem etiamsi singulorum verborum vim non assequamur, de universi tamen enuntiati sententia dubitari nequit. At enim Hyperides se putare Harmodium et Aristogitonem non pariter familiares Miltiadem Themistoclemque (de quibus

supra dixit) ac Leosthenem sociosque apud inferos habituros. Haec autem ex iis quae supersunt efficere non est difficile, modo quaedam insana utpote ab oscitanti librario corrupta sustulerimus: οἰκεῖαι δὲ Ἀρμέδιον καὶ Ἀριστογείτονα οὐδ' ἐκείνους οὐτως αὔτοις οἰκείους εἶναι νομίζειν ὡς Λεωσθένη καὶ τοὺς ἐκείνῳ συναγωνισαμένους, οὐδ' ἐκείνοις κτλ. οὐδ' ἐκείνοις perbene coniecit B., ut sequenti οὐδ' ἐκείνοις responderet. Reiecimus autem eiusdem supplementum [ἢ] υμιν, nulla enim comparatio in ea re de qua agitur Harmodii, Aristogitonis, Leosthenis, sociorumque mortuorum cum vivis Hyperidis auditoribus fieri potuit. Expungere vocem υμιν maluimus quoniam aut ad partem orationis minus necessariam quam excidisse crederemus pertinuit, aut librario debetur aliena, ut sit, cogitanti et scribenti. Quam secundam sententiam tueri videtur vox οἰκειοτέρος quae cum praecedenti οντως et sequenti ως ignoro quo modo consocietur.

His finein observationibus imposueram, cum Babingtonis librum repetens in paginam incidi praefationis XVII, nonnulla 'addenda' continentem quam orationis paginis perlustrandis intentus nondum inspiceram. Quaedam ibi reperiuntur a Schaefero potissimum de aliquibus orationis locis cum Babingtonone communicata. Breviter igitur illa quoque quatenus ad nostram opellam pertinent attingemus.

Col. V, 25. Schaeferus „ante lineam 25, inquit, mihi excidisse aliquid videtur.“ At vero magis adiuvabimur si non ἀνδριζεσθαι sed ἀνδρας suppleverimus, quod nos proponimus.

Col. VI, 7. προστῆναι ἡγήσεται. Schaeferus suspicatur δυνήσεται, quod non nego propius quam ἡγήσεται et ad sententiam et ad traditam scripturam accedere.

Col. XI, 5—8. τῶν τὸ ζῆν εὐδαιμόνων. κτλ. Quamvis prorsus easdem ob causas nobiscum de suo supplemento dubitet B., haeret tamen in suis εἰς αἰτοίων vel εἰς δαιμόνων quae ipse reiicit, ac totius corruptelam loci mavult suspicari

quam aliud quidpiam proponere. At nostrum supplementum quia satis simplex aptumque videtur illas cogitationes non admittit.

ibid. 8 εἰλ γὰρ δὴ τις ἀμοιβῶν ἄν εἴη τόπος. ανειη̄ quod habet volumen pluribus coniecturis locum dedit. Nec B. vero nec amici eius, nec Schaeferus unum vocabulum non modo in litteris ανειη̄ sed etiam in ανειη̄..τος latere cogitarunt. Omnes stelerunt in lectione ἄν εἴη τόπος praeter Schaeferum qui paullo audacius ἐν Αἴδου τόπος coniecit; sed causa errorum fuit versus praecedens quo non τις ἀμοιβων̄ sed τοις αλλοις ων ut diximus legendum erat. Enimvero ipse B. fatetur „ἀμοιβῶν τόπος is a strange expression and perhaps inadmissible“.

ibid. 29. γέγονε· ταῖ. Schaeferus quod scribi iussit καὶ B. recte non recepit, qui γεγονέναι praeferit. Modum tamen praecedentis verbi commutare (nec enim ferri potest ἔρξασθαι γεγονέναι) non ei in mentem venit.

Romae VII. Kal. Mart. 1858.

Dominicus Comparetti.